

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA SECVNDA HEBDOMADAE PRIMAE, EPISTOLA, EZECHIELIS 34.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

FERIA SECUNDA

sponte sua voluntatem eius faciant. Caterum accepimus quibus
saculis petierit Satan Christum, nimirum tribus, ventris cura,
seu crapula, superbia, seu arrogantia, & auaritia, sub quibus su-
ne tribus, omnes tentationes comprehenduntur, imò è quibus sca-
turiant mala omnia. Nam quicquid (ut inquit Iohannes I. cap.
2.) in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia
oculorum, aut superbia vite. Item quibus armis illa retruderit, &
tentatorem vicerit, eumque à se abegerit, scilicet, ieiunio, preca-
tione, & gladio Spiritus, quod est verbum Dei. Quoties igitur &
Christus a- nos adoritur ille, taliàque iacula in nos detorquet, hoc est, ad de-
begerit. sperationem, nimiam confidentiam, & idololatriam nos sollicitat,
sumamus ante omnia gladium spirituale verbum Dei, ac fidei
scutum, extinguemusque omnia eius tela ignea. Etsi enim nos
natura non tam fortes sumus, ut pares esse possimus illius machi-
nis, quia tamen Christus vires eius egregie pro nobis fregit, per
hunc possumus omnia, Philip. 4.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE
PRIMAE, EPISTOLA, EZECHIELIS 34.

Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipse su-
per pastores, requiram gregem meum de manu
meorum, &c. Finis Epistolæ: & pascam il-
las in iudicio.

Pastores
mali capti-
uitatis Ba-
bylonica
causa.



VXTA literam liberatio ex captiuitate
Babylonica hic prædicitur, cuius pastores
utriusque status, chori & fori moderatores,
ocordes & pessimi, præcipua causa fuerunt.
Sed per eam Ecclesiæ regnū adumbratur, Christusque
verus ac bonus pastor præsignatur, de cuius officio in
hac Epistola agit Propheta. Quia enim semetipsos pas-
cebant pastores, ouibus passim luporum moribus re-
lictis, pollicetur Deus ouium suarum se rationem
habiturum, grauissimàque exhortatione & commina-
tione utriusque status optimates excitat & vrget. Tria
autem proponit Propheta.

Bucolica
metaphora
promittitur
Christus

I Primò, Bucolica quadam metaphora promittit se,
oues suas, ab æterno scilicet prædestinatas, quaesturum,
quarum & si nulla perire potuit, erant tamen per pa-
storem Christum, in quo electæ sunt ante mundi con-
stitutionem

stitutionem, Ephes. 1. quærendæ, visitandæ, ac liberandæ. Id enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnales hominis affectus, ita ut neminem ad perfectum adducere possit, quæ operabatur iram, quum errantibus ouibus mortem comminaretur, causam ostenderet, sed ut repeterent gratiam præstare nequibat: Ided inquit, *Ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum*, &c. quæ videlicet perierunt domus Israël, Matth. 15. merito nimirum primi illius originalis peccati quo tota periit humani generis massa, ut ex ea qui à Christo requiruntur, solam agnoscant indebitam gratiam, qua ex misericordia auersos vocat, impios iustificat: & qui deseruntur, solam agnoscant vindicem iustitiam, qua iustè, dignos deserui, deseruit.

Quos autem ita visitat Dominus, ut à massa perditionis separet, non iam ex bonis, inquit Augustinus, facit meliores, sed ex impiis bonos, ut ex fide viuentes per dilectionem benè operentur. Quos autem ita inuenit, 1 visitat in virga, scilicet, iniquitates eorū, Psal. 88. ne damnet cum mundo. 2 Separat ab hædis, ne mali pestifero contagio perdant. 3 Educit de populis, transferendo de morte ad vitam, 1. Iohan. 3. 4 Congregat de terris vitæ præsentis in terram viuentium. Quibus verbis completitur Propheta amplissimam promissionem gratiæ noui testamenti per Christum (qui authore Petro, est princeps pastorum) afferendæ: Qui graue iugum, quo miserè oues opprimebant pastores iniqui, sustulit, substituto leui illo Euangelico iugo, oues suas demulcet, dum parcit peccantibus, nolens mortem peccatoris, Matth. 11. Ezech. 18. condonat respicientibus, expectando ut misereatur eis, Isaïæ 30.

2. Secundò, Pastoris Christi colligentis oues errantes, beneficia quæ tempore noui testamenti sit exhibiturus, enumerat, voce Domini dicentis: *Inducam eas in terram* Pastor bonorum Christi, quasi dicat: Etsi videantur balantes & dispersæ oues meæ in alieno versari solo, & quasi peregrinantes à suo nouo se- Domino, & communibus hædorum malis obnoxia, stamentum non tamen peribunt, sed inducam in terram caelestem. præcipue promissus.

Pascam eas in montibus Israël, id est, non tantum corruptibili & perituro cibo, vel in loco parū tuto, ubi prædæ fa-

Promissio
amplissima
gratiæ noui
testamenti

Pastor bonorum Christi
suo nouo se-
stamentum
præcipue pro
missus

cile obici possint: sed in tabernaculis fiducia, in locis tutissimis, Isa. 32. *In riuibus, & in cunctis sedibus terræ, quasi dicat, Non in aridis locis, ubi siti diuinarum consolationum affectu riuulos aquæ viuæ desiderare possent: sed fiet in eis fons aquæ salientis in vitam æternam, ut hauriatur aquas in gaudio de fontibus saluatoris, Iohan. 4. Isa. 12.*
in pascuis vbi vultis pascam eas, ut nihil scilicet quod ad æternam ipsarum salutem esse necessariū posset, desideretur: iuxta illud, Is. 5. Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? In montibus excelsis erant pascua earum, quia totæ in Deum ferentur, neglectis momentaneis & perituris. Vbi gustarint quàm suauis sit Dominus, non iam terrena quærent, sed ea quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens, Coloss. 3.

Requiescent in herbis vir autibus, in pascuis pinguibus pascuntur. Promissio est de futura beatitudine, de qua Isa. 32. Sedebit populus meus in tabernaculis fiducia, in pulchritudine pacis, in requie opulenta.

Sublimiora hæc sunt promissa, quàm quæ alicui pastori, præterquam Christo, conuenire possint, qui solus est animarum pastor, quid ouium salutis expediat sciens: cuius ad exemplar vult tamen Deus omnes sese componere pastores, nisi horrendæ illi maledictioni subijci velint: Væ pastoribus qui pascebant semetipsos, neglectis nimirum ouibus: alioqui permittit Apostolus, ut qui gregem pascit, de lacte comedat, & qui altari deseruit, de altari viuatur, 1. Corinth. 9.

Sicut autem pastorum alij sunt boni, alij autem mali, ita disparia sunt officia. Nā veri pastoris est, requirere oues, visitare, ad caulam reducere, pascere verbo & exemplo, doctrina & sacramentis. Paratus enim est talis pro ouibus animam ponere. Siquidem per ostium, quod Christus est, in ouile ouium accesserit, Iohan. 10. Accidit autem singulari Dei erga populum suum misericordia, ut huiusmodi det Pastores, qui scientia atque doctrina nimirum iuxta cor Dei, pascant, Iere. 3. Pascunt autem iuxta cor Dei qui nihil subtrahunt vtilium, quominus annuntient Domini voluntatem, Actorum 20. qui veritatem Euangelij prodigiosis opinionibus & hæresibus non corrumpunt: qui ouium salutem proprio

Beneficia in nouo testamento per Christum exhibita.

Pastores ad exemplar veri Pastoris Christo sese componere debent.

Pastorum ut alij boni, alij mali, ita disparia eorum officia.

Misericordia Dei singularis quodam pastores dat qui scientia ac doctrina iuxta

quæstui & ventri præponunt: qui denique lupos, greges infestantes, fortiter gladio spiritus verbi Dei repellunt.

*cor suum pa-
scunt.*

Mali verò pastoris est, oves veniente lupo relinquere, lac comedere, lanis operiri, quod crassum est occidere, infirma non alligare, perdita non querere, cum austeritate imperare, onera grauiâ imponere, & digito nō attingere, Matth. 23. quia nimirum fur est & latro, quum non per ostium, sed aliunde, intrarit: nec sit illi de ouibus cura, vt meritō huiusmodi idolum vocet Zacha.

11. cap. Dantur verò huiusmodi, meritis subditorum ex gentibus, iuxta illud: Dominus est qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, Iob 34. quales vereor hoc tempore, ne multos patiatur Ecclesia, qui sunt, vt est apud Isaiam cap. 56. Speculatores cæci, canes muti non valentes latrare, videntes vana, amantes somnia, canes impudentissimi, nescientes saturitatem, ignorantes intelligentiam, declinantes ad auaritiam.

*Plebs ma-
la pastorem
malum mo-
retur.*

3 Tertiò, Ne putarent fideles se prorsus à Deo deserui, si tales essent nacti pastores, qui ipsorum curam prorsus abiicerent, pollicetur Deus in huiusmodi calu se pastoris munia obiturum, dicens: *Ego ipse pascam oves meas, & accubare eas faciam*, vt scilicet tutò cum Propheta dicant, Psal. 22. Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, & c. Quod ideo facturū se pollicetur, vt sine timore de manu inimicorum liberati, seruiamus illi, Luc. 1.

*Munia
pastoris se
obituri pol-
licetur De⁹.*

Neque his cōtencus longè maiora pollicetur, dum ait: *Quod perierit requiram, quod abiectū fuerat reducam, quod confra-ctum fuerat alligabo, quod infirmū fuerat consolidabo, quod pingue & forte, custodiā.* Emphaticè hæc quū dicatur, vt cuilibet periodo sua adiit energia, omnes tamē id vnū insinua-re puto, quod suauissima illa Euangelij voce significauit Christus, dū ait se venisse, vt peccatores saluos faceret, Mat. 9. Luc. 19. Et Apost. 1. Tim. 1. Venit Christ⁹ Iesus in hūc mundū peccatores saluos facere: Et Propheta Ezech. 12. Nolo mortē peccatoris, sed vt cōuertatur & viuat. Nemo ergo peccati grauitate perculsus desperet: adest nim qui erigit omnes allisos, q̄ sanar cōtritiones, q̄ lineū fumigans non extinguit: cuius gratia sit, vt in accepta semel iustitia perseueremus, tentationibus resistamus,

*Consolatio
contra despa-
rationem.*

FERIA SECUNDA

*Remedium
contra ma-
nem presum-
ptionem.*

ex peccatis faucij reuiuifcamus, & sanemur. At verò ne quis inani fiducia de huiusmodi diuinis promissis ita sibi blandiretur, vt interim suauiter negligeret quæcun- que salutis adipiscenda sunt remedia proposita, docet quo modo diuinas istas suas promissiones sit exhibiturus, scilicet, in iudicio & iustitia. Neque enim temeritate fortuna, casu, aut fatali quadam necessitate, qualem Stoici somniarunt, eueniunt omnia in rebus humanis, sed iudicio Dei iusto (Iustus enim es, inquit Propheta, Psal. 118. & rectum iudicium tuum). Pascua hæc æternæ felicitatis, quæ tanquam merces bonis redditur operibus eorum. qui non crediderunt tantum, sed in vinea Domini laborarunt, retribuetur, Matt. 20.

EPILOGVS.

Correxerit hoc loco verbo Domini Propheta dyscolos pastores & superintendentes vtriusque ordinis, sic Dominici gregis curam agentes, vt ipsi instar luporum laniarent & deuorent. Hoc cum commune sit ingenium & chori & fori principum, caelesti pater curam suam gregi suo per semetipsum promittit, missurumque vnicui filium suum pastorem optimum, nempe, sapientia, intelligentie, clementie, paupertatis & omnis boni fontem. Hinc quum pastorem functionem suscepisset, ait Ioban. 10. Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

FERIA SECUNDA DOMINI-

CAE PRIMAE, EVANGE-

LIVM, MATTH. 25.

Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua & omnes angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, &c. Finis Euangelij: Et ibunt hi in supplicium æternum: in si autem, in vitam æternam.

*Fidei arti-
culus de se-
cundo Chri-
sti aduentu*



ARTICVLVS fidei Catholicæ de aduentu magni Regis Iesu Christi, quo venturus est de caelo, hoc est, à dextera gloriæ Dei, in potestate magna & maiestate, ad iudicandum viuos & mortuos, hic astringitur, vt cum cordi committ-

tentes à peccatis absterreamur, & ad virtutes prouocemur, quia docet Christus fore tunc diem, quo cuncta quæ sunt sub sole, sit adducturus in iudiciũ. Ecclesiastes 12. Rom. 14. 2. Corinth. 5. In hoc Euangelio potissimum tria obseruanda sunt.

astruitur.

1. Primò, Maiestas iudicis, quæ consideranda est, vel secundum personæ vel conditionis dignitatem: Quo ad personæ dignitatem, & filius Dei Patri æterno æqualis secundum diuinitatem, & filius hominis Patre minor secundum humanitatem, cui pater omne iudicium dedit, vt omnis qui credit in ipso non pereat, Iohan. 3. & 5. Hic igitur tantus, in die iræ, tribulationis & caliginis, Sopho. 1. quo tribulabitur fortis, quo nec aurum neque argentum poterunt liberare homines aut iumenta, ad iudicium veniet: sed ita, vt ignis ante ipsum præcedat, vt inflammet in circuitu inimicos eius, & cum principibus populi sui sedeat in sede maiestatis suæ, Isa. 3. Apoc. 1. *Tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabit eas ab inimico,* &c. Ibi sisti habebunt omnes, omnes gentes hic apparebunt, exemptus erit nemo. Tunc pueri & infantes, senes, mares, fœminæ omnes citò venient, tubæ angelicæ parentes omnes, viuentes in istum oculi mutantur, & in simili momento excitabuntur, tanquã dormientes mortui. Tanta virtus est verbi Dei. Tunc iuxta B. August. lib. 22. de ciuitate Dei cap. 15, vbi de fidelium resurrectione agit: Omnia Christianorum corpora resurrectione sunt ea ætate, qua resurrexit Christus, id est, circa annos triginta, siue supra, siue infra eam ætatem fuerint defuncti. Tunc fiet segregatio electorum & abiectorum: Tunc hæretici Lutherani videbunt, quid inter sit inter verbum & opus: Tunc scandala auferentur è mundo omnia, & separabuntur zizania & hœdi, quia in fructuosi, steriles & nocentes: Bonum semen, quia fructuosum & commodum seruabitur. Illa comburenda in aceruum vnum in tartara conijcientur, hoc in horrea thesaurorum Dei referetur. De hac re vide Ezech. 34. Matth. 13. & 25.

Iudicis maiestas ex personæ & conditionis dignitate inducitur.

Scandala in secundo aduentu auferentur omnia.

Quantum verò ad conditionis dignitatem est misericors: Nam talem cum experientur pij, leuantes capita sua, & dicentes: aduenisti redemptor noster: est & iustus:

FERIA SECUNDA

Apoc. 6. nam talem eum experientur impij, dicentes montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos, Luc. 23. Zacha. 13. Hunc nemo poterit fallere criminū occultatione: siquidem omnia nuda & aperta sunt oculis eius, Hebr. 4. nec corrumpere oblatione munerum, vt iudicem prophatum, Deute. 26. Exod. 23. siquidem, ipse Dominus Deus potens & terribilis, personam non accipiet nec muna, Deut. 10. Dum enim ad iudicium sederit, libri aperientur, Apoc. 20. & mox aderunt testes, conscientia & synderis, aderunt & accusatores, dæmones, scilicet, & angeli mali, quanquam non erunt necessarij, quia (vt est apud Malach. 3.) Ipse Dominus accedens ad iudicium, erit testis velox maleficis, adulteris, ac periuris.

Indicando - rum differe- rentia. 2. Secundò, Differentia iudicandorum hęc est obseruanda, quam exprimit Christus bucolica quadam metaphora sumpta à bubulcis, dum ait: *Statuet oves à dextris suis, haedos autem à sinistris.* Hi iræ iudicis obnoxij, illæ gloriæ Christi participes. Ipse iudex œcumenicus medius inter electos & abiectos sedebit, sententiam cuius parti dicturus, neutri parsurus.

Agnorum nomine pios intelligit. Agnos, quo nomine pios, qui virtutibus insignes, non sua, sed quæ Christi sunt quæsierunt, intelligit, statuet à dextris, vt vel ex ipso loco immortalitatis gloriā intelligamus. Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, &c. quia nomine dextræ omnis felicitas significatur. Hædos, id est impios, & dānandos, ob scdā scelerū sentinam, contēptum Dei, cupiditatem, & neglectum bonorum operum statuet à sinistris: quibus omnis miseria & infelicitas, vt nomine tenebrarum: iuxta illud, 1. Reg. 2. Impij in tenebris conticescēt, intelligitur. Fiet autem ista locatio iudicandorum, angeli ministerio, idque in ictu oculi, in nouissima tuba, cuius efficacia fiet, vt omnes, qui in momentis sunt, audient vocem filij Dei: ita tamen, vt resurgāt pij, qui Deo, eiusque verbo firma fide adhæserunt, quæ per charitatē operatur, ad vitā & gloriā: impij verò qui abusi sunt Dei patiēcia, dicentes in corde suo: Non est Deus, Rom. 1. Psal. 14. resurgant ad mortem & poenam.

Consolatio insignis pro bonis. Afferunt autē hæc insignē consolationem bonis, ex consideratione immarcescibilis gloriæ Dei, & terrorem

infignem malis, ex consideratione æternæ damnationis. *Terror in-*
Ex iis autē intelligimus non eundē esse interitū homi- *gū pro ma-*
num & iumentorū: sed iustissimū illum iudicem daturū *lus.*
cuique secundū opera sua: sed ita, ut præcedat generalis
corporum resurrectio: De qua. 1. Corinth. 15. Daniel. 12.
Iob 14. Ezech. 37.

3 Tertiō. Obseruanda in hoc Euangelio dispar iudicis *Iudicē*
sententia, secundum disparem iudicandorum conditio- *Christi sen-*
nem. Erit enim vna absolutionis sententia, plena mise- *sentia dis-*
ricordiæ. Nam Rom. 6. Gratia autem Dei vita æterna. & *par.*
plena iustitiæ: Nam, 2. Timoth. 4. Apostol. dicit: Bo-
num certamen certavi, cursum consummaui, fidem
seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,
quam reddet mihi in illa die iustus iudex, &c. Dum iis
qui à dextris erunt, dicet, *Venite benedicti patris mei, &c.* *Isa. 58.*
Nam esurius, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi *Ezech. 18.*
potum: hospes fui, & collegistis me: infirmus, & visitastis me: in car-
cere, & venistis ad me: nudus, &c. & operuistis me. Quod enim
vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vide candide lector, *Non soli fi-*
non soli fidei, sed operibus vitam æternam tanquam *dei sed ope-*
mercedem reddi. Iudex non dicet, *Venite benedicti, &c.* *ribus vita æ-*
quia promissioni meæ credidistis, sed quia dedistis & fe- *terna tãquã*
cistis. Alibi etiam dicit factores salvandos, & non fidei *merces red-*
ostentatores, Math. 7. Non enim sufficiet venisse ad nu- *detur.*
ptias, quod est credidisse, teste B. Augustino: sed oportet
etiam veste nuptiali ornatum esse, hoc est, charitate
præditum. non etiam sufficiet lampada gestasse, & virgi-
nem esse, sed sapientem esse virginem, & oleum habere
tunc saluificum erit, hoc est, credere, & charitatem fidei,
vitam habere. Sic etiam baptizatum esse & credidisse
in illa die nō saluabit, sed in fide charitati studuisse, bo-
nisque operibus insudasse. Malè ergo iustum in omni
opere bono peccare, & opera nostra non esse meritoria
apud Deum docent hæretici: nō enim vult Deus iniqui-
tatem, nec peccatis mercedē decernit, nisi supplicium, &
ignis æmulationem, quæ consumptura est aduersarios.
Quod autem hæc sententia sit misericordiæ atque etiam
iustitiæ docet ex scripturis August. Epist. 105. lib. de gra-
tia & lib. arb. cap. 8. 9. & lib. contra Iulian. cap. 3.

Altera sententia erit condemnationis, plena æquita-

Sap. 1.

Dolores inferni perpetui, & æterni.

Psal. 6.

Math. 7.

Luc. 13.

Tria quedã
damnatorũ
pœnam ex-
aggerantia.
Damnari
non solũ ob
flagitia, sed
de bono e-
tiã omisso.

Iohan. 5.
Beatitude
nis distin-
ctio.

tis quia, quod in inferno mali pereant, non est diuini operis, sed humani: æquitas enim, inquit Fulgentius, diuina hoc exigit, cui nulla placet iniquitas: & plena terroris, quia ligatis manibus & pedibus, proiciuntur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, stridor dentium, & horror: vbi denique vermis impiorum nõ morietur, & ignis non extinguetur, Isa. 66. Marc. 9. quia dolores erunt acerrimi & perpetui, vbi pœnales sensus torquẽt animas, nec extorquent: puniunt corpora damnata, nec finiunt. Prosper de vita contemplatiua, cap. 11. contra misericordes illos hæreticos Origenistas, qui multis olim sophisimatibus ignem illum temporarium dogmatizarunt, quasi verbum domini non sit æternum, & quasi Deus æternitas non existat, qui contrarium hic docet. Quod autem Dei iustitia potest pro peccatis momentaneis & temporariis reddere æterna supplicia, vide apud D. Augustinũ, Epist. 49. quæst. 4. de Ciuitate Dei, lib. 21. cap. 18. 29. in Enchir. cap. 112. Hæc erit sententia contra iniustos. *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* cumulum pœnæ in tribus ostendẽs: In exclusionẽ visionis diuinæ, quæ grauior erit ipsa gehenna, imò mille gehennis: In passione ignis, quo omnis pœna designatur, Psal. 10. In cohabitatione demonũ, Iac. 2. Iudiciũ sine misericordia fiet eis, qui non fecerunt misericordiam. Horrendum est, quod illi neque vt scorta, neque vt latrones, neque ob aliud graue flagitiũ punientur, sed vt hi, qui bonum non fecerunt, Proverbio. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur. Christus enim in membris suis egens refocillatur, vel negligitur.

Hac prolata sententia, ibunt ij, qui fascibus peccatorum pressi sunt, in supplicium æternum, recepturi pro diuersis criminibus diuersa supplicia, Apocal. 18. Quantum glorificauit se, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: Iusti in vitam æternam, recepturi singulos denarios, Math. 20. iuxta tamen diuersitatem meritorum, gloriosiores claritates & mansiones, sicut stella differt à stella in claritate, 1. Cor.

85. & in domo patris multae mansiones sunt, Iohan. 14.

EPILOGVS.

In presenti lectione declaratum est nobis, qualenam sit iudicium extremum, quod credimus tam vivos quam mortuos manere, in quo iudex Christus, apud quem personarum respectus non est, Fides nostra cuique iuxta opera sua est retributurus. Tum denum videbimus de extremo opera bona posse custodire. Nihil est quod presumptuosi nostri iudicio. angelici noui de huius vitae exitu suos beatificant & alios condemnant: Iudicia Dei atq[ue] multa, Diabolus artifex raser, et serpens lubricus multos decipit: Illa dies declarabit omnia. Nos Catholici vigilemus omni tempore orantes, ut digni habeamur fugere ista omnia quae futura sunt, & stare ante filium hominis, Luc. 21.

FERIA TERTIA PRIMAE HEBDO-

MADAE, EPISTOLA, ISAIAE 55.

Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est, &c. Finis Epistolæ: & prosperabitur in his ad quæ misi illud.



QVVM Dominus Deus, Rex & protector omnium, nostra salus, beatitudo, & omnia sit, docemur in hac Epistola eum ab omnibus semper, vbique, in omni bono instituto, in omni consilio, in omni anxietate & tribulatione, in hoc tempore accepto, dièque salutis, sedulo querendum esse: deinde monemur, ut cessemus peccare, ut abistamus à peccatis: sed ex contrito corde verè resipiscendo, atque nouam vitam, honestam & piam amplectendo: quod ni fecerimus, peccati remissionem, gratiamque diuinam non consequemur.

Docet autem quatuor, Primò, Veram pœnitentiæ formulam præscribens, hortatur nos, Quærere dominum, sed dum inueniri potest, eumque inuocare, sed dum propè est, dum scilicet in corpore sumus, dum locus est pœnitentiæ: quia à mortuo perit confessio, Ecclesiasti. 17. Est enim & sera & inutilis damnatorum pœnitentia, quorum malitia ascendit semper, Psal. 73. ut uiuorum, licet etiã ultimo vitæ articulo opportuna & utilis est, si tamen ex fide propter Deum offensum proficiatur: quanquam nec mala sit, quæ metu gehennæ

*Dominus
quando quæ
rendus.*

*Damnato-
rum pœni-
tentia sera
& inutilis.*